



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De lapsis in vltimis positis, vt viatico munere, si rogauerint, eis debeat  
subueniri. viii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De illis qui ad exitum veniunt, vt vltimò & necessariò  
viatico minimè priuentur. Cap. VI.*

*Ex cõcil.  
Ni eno,  
cap. 13.*

**D**E his qui ad exitum veniunt etiam nunc lex antiqua regularisq̄ue seruabitur, ita, vt si quis egreditur è corpore, vltimò & necessariò viatico minimè priuetur. Quòd si desperatus & consequutus communionem, oblationisque particeps factus, iterum conualuerit : sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuiuslibet in exitu posito, & poscenti fili communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter ex oblatione dare debet.

*Quòd pœnitentia possit abolere peccata etiam si in vltimo  
vitæ spiritu pœniteat. Cap. VII.*

*Ex cõcil.  
Moguti.  
cap. 2.*

**P**œnitentiam posse abolere peccata indubitanter credimus, etiã si in vltimo vitæ spiritu admissor pœnitent, & vel publica lamentatione peccata prodantur : quia propositum Dei quod decreuit saluare quod perierat, statim mobile. Et ideo quia voluntas eius non mutatur, siue emendatione vitæ, si tempus conceditur, siue supplici confessione si continuo vitæ exceditur, venia peccatorũ fideliter presumatur ab illo qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & saluetur miseratione domini, vt viuat. Si quis aliter de iustissima pietate Dei sentiat, non Christianus, sed Nouitianus est.

*De lapsis in vltimis positis, vt viatico munere si rogauerint, eis debeat subueniri. Cap. VIII.*

*Ex epist.  
Syricij  
papæ.*

**Q**uicumque carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Deum cœperint proficisci, si rogauerint, per communionis gratiã volumus subueniri.

*De illis infirmis qui dum pœnitentiam petierint, & antequam sacerdos veniat, officium oris amittunt. Cap. IX.*

*Ex epist.  
Leonis  
papæ.*

**I**Ta ergo talium necessitati auxiliandum est, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus querere comprobentur. Quòd si ita aliqua a gritudine fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poscebant, & sub presentia significare non valent, testimonia fidelium circumstantium illis prodesse debent : simul tamen & pœnitentiæ, & reconciliations beneficium consequantur.